UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Reverendis In Christo Patribvs, Charissimis Qve Fratribvs Carmelitis Excalceatis, qui in deserto sancti Ioseph, vulgariter Batvecas nuncupato, commorantur, ceterisque sacræ Religionis nostræ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à IESU,

CARMELITÆ-DISCALCEATI,

DE DIVINÆ, SIVE A DEO INFVSÆ ORATIONIS

METHODO, NATURA ET GRADIBVS

LIBRI QVATVOR;

Quibus mirabilis DEI, in promovendis ad veram, pacatam, divinamque ac fruitivam unionem animabus, methodus & via ostenditur: ac præterea quàm plurima divinarum, internarumque affectionum, ac Mysticæ Theologiæ arcana clariori ac pleniori stylo, ad mentem Scripturarum & SS. Patrum, explicantur.

REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBVS,
CHARISSIMISQVE FRATRIBVS

CARMELITIS EXCALCEATIS,

qui in deserto sancti IOSEPH, *vulgariter* BATVECAS *nuncupato, commorantur, ceteriisque sacræ Religionis nostræ* EREMITIS,

IN D. N. IESV CHRISTO SALVTEM ET OMNE BONVM.

QVARTVS modò annus agitur, Reverendi in CHRISTO Patres, Fratresque charissimi, quòd primum meæ per septennium in sacra vestra Eremo solitudinis de Divina Contemplatione fætum RR. VV. nuncuparim: prodit ecce modò *secundus de Divina, sive à DEO infusa Oratione*, ab eodem parente, eodemque in loco conceptus; quidni igitur sub eodem orationum vestrarum patrocinio lucem aspiciat? quippe qui multis nominibus à me latiùs in illa nuncupatoria prioris Libri Epistola recensitis jure merito vobis debeatur: à quibus præterea de manu mea avidissimè exspectatus, & à me sæpissimè promissus est; ut non potuerit nec debuerit, sine aliqua ingratitudinis nota, aliis quàm vobis inscribi. Spero

Spero etiam brevi, si per vires licuerit, DEO votis meis aspirante, edere alium quoque *Tractatum de variis perceptionum mentalium affectibus*; cujusmodi sunt; *Raptus*, *Visiones*, *Revelationes*, *Locutiones*, *aliaque similes divinæ illustrationes*, *mentisque affectiones*, quas DEVS puris quibusdam animabus communicare solet, quò universam Orationis mentalis doctrinam, ab ipso vitæ spiritualis exordio, usque ad omnimodam illius perfectionem, à me digestam habeatis.

Tres dantur mentalis orationis species, & quænam illæ sint.

Nam ut latiùs in subscripta totius Operis distributione explicatur, tres sunt Orationis species: una acquisita, quæ procedit vel ab habitu fidei, vel à virtute morali infusa Religionis; & de hac *brevem Tractatum* ad spiritualem eorum, qui tunc vobiscum in sacra illa Eremo degebant, directionem composui, quibus tunc tamquam parvulis lac dedi. Postea transmisi *Librum de Divina Contemplatione*. Nunc autem prodit *de Divina*, sive *à DEO infusa Oratione*, quæ est secunda Orationis species, quæ dimanat à Donis Spiritus sancti. Quem DEO dante subsequetur alius & *ultimus de perceptionibus mentalibus*; & sic spero, abundantissimè vestro, res istas, naturâ suâ satis difficiles, penitiùs introspiciendi & experimentaliter degustandi desiderio satisfactum iri. Tractatum interea hunc, non tam meum quàm vestrum, utpote vobiscum, & apud vos ferè elaboratum, sicut & alium, benevola manu in perpetuum singularissimi mei erga VV. RR. affectus mnemosynon suscipite, & mei apud DEVM Optimum Maximum in vestris sacrificiis memores estote. Bruxellis, in Conventu nostro sanctæ MARIÆ de Monte Carmelo. Kalendis Ianuarii M. DC. XXIII.

RR. VV.

humilis in Christo servus

F. Thomas à Iesu.

PRÆ-